

APOSTOLICAM ACTUOSITATEM/2

Nº 7

EMINENTISSIMI MODERATORES:

Episcopi subsignati humiliter et enixe petunt ut in disceptatione Schematis "De Apostolatu Laicorum" audiatur publice in ipsa Congregatione generali opinio et vox aliquorum Laicorum. Hoc posset fieri saltem per triginta momenta a duobus vel tribus Laicis ex utroque sexu circa materiam in Schemate tractatam vel tractandam.

Ratio huius petitionis est quod in nonnullis quaestionibus Laici melius et ex viva experientia loqui possunt; Episcopi insuper vellent sollemniter demonstrare veritatem illius dialogi, de quo in cap. IV<sup>o</sup> Constitutionis De Ecclesia clare dicitur: "Sacri Pastores.... paterno cum amore copta, vota et desideria a Laicis proposita attente in Christo considerent. Ex hoc familiari commercio inter Laicos et Pastores permulta bona Ecclesiae exspectanda sunt...".

Ista Laicorum interventio oralis in aula esset veluti signum efficax et initium "extraordinarium" illius dialogi, qui "ordinarius" evadere debet in quotidiana vita apostolica omnium Ecclesiarum.

Gratias plurimas ago et addictissimum servum me profiteor in Domino,

Radulphus Card. Silva Henríquez  
Archiepiscopus Sancti Jacobi  
in Chilia